Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis Gerunde, attendentes quod dictum monasterium habet satis prope civitatem Gerunde Joveriam vocatam de Monte Tribio cum su-
is terris, honoribus et pertinenciis suis. Attendentes etiam et consideratis sumptibus qui pro laboratione ipsarum terrarum et honorum et ratione ipsius Joverie fiunt necessario et fieri habent, melius, utilius
et fructuosius est ipsi monasterio multiplici ratione dictam Joveriam cum suis terris, honoribus et pertinenciis stabilire seu ad emphiteosim concedere sub certis censibus quam ad propria laboratione
tenere, ut etiam ipsam ad laborandum concedere. Habitis super predictis et quolibet predictorum diligenti et frequenti consilio, deliberatione et tractatu cum conventu nostri monasterii propter ea more solito
convocato et congregato. Idcirco ipsius monasterii utilitate attenta, de consensu, voluntate et consilio dicti nostri conventus et eius de auctoritate et expresso assensu Reverendi Patris in Christo domini Gastonis
miseratione divina episcopi Gerundensis, certis et ex certa sciencia, per nos et successores nostros in predicto monasterio, damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum vobis Berengario de Puppe de
Sancta Eugenia et Arnaldo Jalberti ferrario et Petro Jalberti curritori Gerunde et vestris perpetuo quoddam heremum sive garrigale quod est de pertinenciis dicte Joverie. Quod he-
remum affrontat ab oriente in honore den Sperapans et heredis Berengarii Renalli, a meridie in honore den Carrofar et in campo vocato de Furno, ab occidente in honore Petri
de Orta mediante carraria, a circio in honore heredis Berengarii Renalli. Quod siquidem heremum sive garrigale prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus integritatibus et pertinen-
tiis suis universis et singulis, et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis, vobis dictis Berengario de Puppe et Arnaldo Jalberti et Petro Jalberti et vestris perpetuo
damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum. Salvo tamen jure et directo dominio dicti monasterii tam in foriscapiis laudismiis foriscapiis emparis faciendis quam etiam aliis que ad directum
dominium pertinere noscuntur. Dabitis propterea vos et vestri nobis et nostris successoribus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo Sanctorum Petri et Felicis quinque solidos Barchinonenses. Et sic sub dictis mo-
dis et condicionibus constituimus nos dictum heremum sive garrigale vestro nomine possidere donec eiusdem rei possessionem tam de jure quam de facto adepti fueritis corporalem, in qua intrandi et
apprehendendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et constituimus potestatem, ad faciendum inde omnes vestras voluntates, retentis tamen condicionibus supradictis. Et sic per nos et nostros successores
in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere, tenere et servare, et predictum heremum sive garrigale cum suis juribus vos et vestros semper facere
habere, tenere et etiam defendere in pace contra cunctas personas et inde vobis et vestris firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis attendendis obligamus
vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presencia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habuimus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii triginta solidos Barchinonenses, renun-
ciando exceptioni peccunie non numerate et non recepte et doli. Et nos dicti Berengarius de Puppe et Arnaldus Jalberti et Petrus Jalberti laudantes et concedentes omnia et singula su-
pradicta promittimus vobis dicte domine abbatisse et successoribus vestris in predicto monasterio dictum censum quinque solidorum annuatim solvere termino supradicto. Et pro predictis attenden-
dis obligamus vobis et vestris dictum heremum sive garrigale cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa
quam dictis Bergario et Arnaldo et Petro firmatum et laudatum sexto idus octobris anno Domini millesimo CCC XX tercio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de Lacu
presbitero de capitulo Petro de Villaricio et Arnaldo de Torrete Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in ca-
pitulo dicti monasterii laudata concessa et approbata et etiam postea predicta omnia per dictum Reverendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et approbata quinto
idus octobris anno Domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo thesaurario et Bernardo de Lacu presbitero de capitulo Gerundensi. Et similiter Arnaldus
de Torrete baiulus dicti monasterii predicta firmavit pro baiulo coram testibus supradictis.

Sig+num Petri Massaneti notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Tovlano notario Gerunde publico, qui hoc scribi fecit et clausit cum raso in linea XXVI ubi dicitur "et".

Nº 53 CTORS f. 77v

Montiribi.
Juera

T. 400 X 315

10-10-1233 nº 669

[illegible] de un hem ... de la [illegible]
[illegible] de Montiribi fet per la Abadessa de St. Daniel
a Berenguer Roca ... de 58
(A 26 7bre 1233.)

Stabliment de un herm lo qual es
de pertinensias de la Gonaria de Mo-
tiribi a Baranguer Roqua ... lo qual
fa ... cens ...

nº 669

698

16/35 N. 62 ... 5 ... pessa de terra
... de Montiribi